tionemque sequi potest coagulatio, ablato, dissociato, segregato humido, siccis partibus sua se natura stringentibus, *Calor*, lib. 2. de par. 2. Aristoteles scripsit, *vim habet tum cogendi, tum liquandi*, at calefaciendo, id per agere potest calor. Dicat Philosophus inter Vates Virgilius.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Vno eodemque igni.

Vno eodemque modo operatur calor: unum, idemque promit effectum, nempe calefacit: calefaciendo humiditatem vel absumit in halitus, vel ad partes extimas extrahit: sic lignum viride igni cùm apponitur comburendum, & mollescit, & humescit, & fundit aquam, siccis à partibus, quibus erant unitæ, humidis elicitis: sic lateres igni primò appositi mollescunt, & tenerescunt, & distorquentur. Cera igne liquescit: calefacta, attenuatis partibus, dissolutisque, quæ humidæ ceræ partibus obstringebantur siccis, solutis vinculis, ceram reddunt emollitam. Quæ intestina in pice, cera, pinguedine obstricta aderat humiditas, laxatis à calore externis partibus ab illo foras educitur, dissolutisque exterioribus partibus admiscetur, ut liquescant, crassitiem deponant, & duritiem: remoto igne, exterioribus obstrictis partibus, strictaque intus humiditate, denuo obdurescunt. Sic liquescunt metalla, ignis potestate, intus occlusa humiditate detracta.

Pluuia puluere crassescit aqua, & emergit lutum. Frigore expressa, solisque calore exuberanti in halitus humiditate absumpta, obdurescit lutum. Nimio si stringatur frigore, vel exurentibus Solis radiis solicitetur, tota humiditate deperdita, lutum redit in puluerem, præcipue si partes non obtinuerat glutino quodam obstrictas, uti creta obtinet: sic excocti lateres crassarum partium beneficio igne lapidescunt. Si vires suas exeret

ignis